

Die mihi si tibi semper proxime principem standum esset, non cum timore adstares? Quando comedis, cogita praesentem esse Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irascaris, quando rapis, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum, et nunquam in risum incidēs, nunquam ad iram accenderis: si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris ac tremore, tamquam si prope regem adstes.»

Atque hi sunt alites, auditores, quos promissimus; qui si in vita nos comitentur, ad caelum absque dubio eveherent. Scribit S. Greg. Turonensis, de glor. conf. capite XXXIV. fuisse Aveni puellam religiosissimam nomine Georgiam, quae ruri degens Deo quotidie serviebat jejuniis et precibus. Ea mortua, cum in oppidum corpus efferretur ad sepulturam, magnus columbarum grex feretrum prosecutus est; et corpore in templum delato, super aedis sacrae tectum consedit: eo sepulto ad caelos evolare visus est. Faxit Deus, ut hi alites, et ipsi Spiritus sancti typi, pari etiam modo nos ad caelum comitentur.

CONCIO V.

QUANTOPERE DILEXIT DEUS MUNDUM.

I. Quis quem dedit? — II. Pro quo dedit? — III. Qua conditione dedit? — IV. Quem in finem dedit?

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. III.

Heri invitavit nos Deus ad amorem suum, amoris sui mutui et consequentis promissione: *Si quis diligit me, et Pater meus diligit eum, etc.* Hodie majores amoris flammās subjicit, demonstrando nobis amorem suum praevientem, quo prior nos dilexit eoque velut efficacissimo philtro in amorem suum trahere studuit: *Sic Deus dilexit mundum, inquit, ut Filium suum unigenitum daret.* Hoc enim fecit cum adhuc peccatores essemus, Deique inimici. Quando igitur nos non movit hesternā imitatio ad amandum, moveat nos hodierna, et si ut ait S. Augustinus, de catechis. rud. *Amare Deum pigeat, saltem redamare non pigeat.* Porro nunc expendamus amorem illum, quo prior nos dilexit, dum nobis Filium suum dedit.

I. Quis quem dedit? Deus Filium suum. Deus, inquam, non princeps, non angelus, sed summa et infinita majestas, Filium suum unicum, sibi per omnia coaequalem, coaeternum, consubstantialem, quem ita diligit ut seipsum. Quanta vero ista res, diligi a Deo? Et ita quidem diligi

ut Filium suum tibi donet? Quantum in aulis regum plerique adlaborant, ut favorem regis aucupentur? Et quid favor principis terreni, respectu favoris divini?

Igitur sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dare pro servo suo, sicut canit Ecclesia: *O mira charitatis dilectio! Ut servum redimeres, Filium tradidisti.* Celeberrimum est Abraham factum ejusque in Deum amor, qui ad imperium illius filium suum unicum et dilectissimum gladio arrepto immolare paratus fuit, immolassetque, nisi impeditus a Deo fuisset. Sed quid mirum, si homo pro amore Dei sui Filium suum tradat neci? Dat enim Domino suo servum quem illi debet. Illud admirandum quod pro homine Deus dare voluit Filium suum. Sane Jacob patriarcha vix adduci potuit, ut pro redimendo filio suo Simeone, mitteret ad breve tempus in Aegyptum charissimum filium suum Benjaminum, Genes. XLII. Quantus igitur Dei amor qui pro servo dedit unicum et dilectissimum Filium suum? Celebris est apud gentiles servi cujusdam amor erga dominum Panopionem, qui ut refert Val. Max. I. VI. c. VIII. cum intellexisset dominum suum proscriptum a militibus quaeri ad necem jamjam adventantibus, commutata cum eo veste insertoque digitis heri annulo illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectum recepit, et velut Panopionem occidi se passus est. Magnus hic fateor, in herum amor. Quid enim non gratiarum reddere debuisset ei herus, si servus post acceptum lethale vulnus sanatus fuisset vixissetque: sed nihil hoc comparatione amoris Dei, qui cum Deus et Dominus noster esset, pro nobis morti se obtulit, atque ut pro nobis proscriptis, et ad necem quaesitis occiderent, vestem induit nostram, carnem scilicet humanam: annulum seu notam servi et peccatoris in circumcissione accepit, denique in lectum nostrum, crucem scilicet nobis debitam ascendit, ibique pro nobis servus et mancipiis suis vulnerari et occidi non dubitavit. Quid hic dicemus, auditores? Postquam ergo Dei Filius a morte resurrexit et vivit, quid non gratiarum ei debemus pro amore isto?

II. Pro quo dedit? Pro mundo seu pro hominibus, qui si naturam spectes, sunt infirmi inter creaturas rationales; si qualitatem, peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, caelestium incurii, terrenis affixi, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum. Quantum miraremur, si potentissimus monarcha Aethiopiae aliquot mancipia, infimis solum obsequiis idonea, saepius triremes et mortem commerita, amaret praepatria nobilitate adoptare in filios, et omni studio conaretur evehere ad regni sui

communione? Quantum hoc miraremur? Supra naturam humanam tot sunt angelorum ordines, omnes sublimes, spirituales, illustres, sapientia et charitate repleti, omnes in Deum semper intenti, ab omni contagione alieni, omnes caeli cives naturales: et tamen his omnibus praetulit naturam humanam, rationalis naturae terminum, terrae civem, brutorum sociam, peccatis inquinatam, ignorantiae tenebris circumfusam, a Deo longissime dissitam: *Nunquam enim angelos apprehendit.* ad Heb. II.

Igitur sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret pro redemptione, non angelorum ss. non hominum innocentium, sed mundi perditissimi, impii et sibi infensissimi et refractarii. *Via pro justo quis moritur,* inquit apostolus, Rom. V. *nam pro bono forsitan quis audeat mori.* *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Quales autem fuerint homines ante redemptionem, graphice describit apostolus ad Rom. 1: *humanitatis enim obliti, et propemodum ea exuti induerunt naturas bestiarum, facti maligni ut serpentes, crudeles ut tigrides, feroces ut leones, rapaces ut lupi, superbi ut pavones, lascivi ut equi, lurcones ut porci, ignavi ut asini, invidi ut canes ipsique diaboli.* Et pro his talibus nihilominus dedit Filium suum in mortem. O amor admirandus! Illustris fuit Judae illius in fratrem Benjaminum dilectio, Gen. XLIV. quo ut illum, licet furti (ut putabatur) in sacco ejus inventi reum a servitutis jugo servaret, et patri restitueret, pro ipso in ergastulum se offerebat: *Ego proprie servus tuus sim,* inquit: et: *Manebo servus tuus pro puero in ministerio domini mei.* Illustris etiam in cives suos Codri regis Atheniensium amor, qui, ut refert Val. I. V. c. VI. cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, sciscitans quonam modo bellum illud ita bello finem fore, si ipse hostili manu occidisset; quod cum ubique etiam in hostium castris evulgaretur, edicereturque ne quis Codrum vulneraret. Id postquam cognovit Codrus depositis insignibus imperii plebeium cultum induit, et hostium globo se objiciens, unum ex iis ense percussus in necem suam compulit, atque ita Athenae servatae sunt. Sed quid haec comparatione amoris Dei? Judas voluit esse servus, sed pro fratre: Codrus ultro interiit, sed pro patria et civibus: Deus Filium suum dedit pro impiis, pro inimicis! Magnum etiam amorem erga subditos habuit David, II. Reg. ult. *cum grassante in eos peste exclamavit ad Deum:*

Vertatur obsecro manus tua contra me. Sed id merito fecit, quia ipse peccaverat, et pestem illam meruerat ipse, non subditi. Unde ait: *Ego sum qui peccavi, et ego inique egi. Isti qui oves sunt quid fecerunt?* Contra vero Dei Filius agnus innocentissimus erat, nos praevicatores eramus: et tamen is pro nobis caedi et occidi voluit.

Quid dixisset haec de re Seneca, si eam intellexisset? Scripsit is, I. II. de ira, c. XXVII. *Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* Quod si is dignum non aestimavit mundum propter quem caeli orbis rotarentur, et elementa moverentur: quomodo dignum aestimasset mundum tam perditum, ut propter eum Dei Filius a Patre traderetur in mortem.

III. Qua conditione dedit? Non sane ut ab hominibus triumphali curru imponeretur, et per orbem summo cum honore circumveheretur, ab omnibus genu flexo adoraretur, omnium servitibus et obsequiis coleretur, omnium bonis et divitiis gauderet: sed ut illorum culpas lueret, pro illis pateretur, et extrema pateretur, ab omnibus reprobareretur, subsannaretur, et tandem foras ejiceretur.

Igitur sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum pro illo daret ad flagellandum, conspuendum, spinis coronandum, crucifigendum. Si dedisset Deus Filium, ut esset hominum magister, rex, alimentator uti Joseph, paedagogus, exemplum et speculum virtutum, sat multum id fuisset, non adeo tamen mirandum, naturale enim est Dei bonitati creaturam suis se communicare. Sed dare hoc fuit, ad maximos dolores et inauditas ignominias tradere, in iisque illum absque omni solatio derelinquere, ob inestimabiles fructus quos homines inde consequerentur. Sic igitur dilexit mundum, ut durum illi non fuerit hominem sanguine et morte acerbissima unigeniti Filii sui copiose redimere. Magna fuit illius Zopyri unitus e septem principibus regis Darii, in dominum ductio, qui, ut refert Plutarchus, volens domum suam civitatem Babel a praefectis Assyriis captam recuperare, quam rex jam viginti mensibus frustra obsederat, flagellari se fecit, naso, auribus, labiis et superciliis truncari eo fine, ut sub praetextu defectionis ad Assyrios fugeret, et se offerret ad dimicandum contra Darium, a quo tam crudeliter et inique tractatus esset. Credidere Assyrii Zopyro, eumque bello praefecere; quis enim non crederet homini sic male affecto? Qui cum semel iterumque Darium conventionis conscium fugasset, tandem ei civitatem tradidit, insigni erga dominum amoris exemplo, adeo ut postea Darius diceret, praeferre se unum Zopyrum centum Babylonibus. Sed

param aut nihil hoc est, si cum Dei nostri amore comparetur; is enim ut ereptam nobis Dei gratiam et gloriam e potestate tenebrarum recuperaret, crudeliter se flagellari, conspuui, vulnerari et crucifigi permisit, velut reus et malefactor, quoque stratagemate dæmonem, qui hoc artificium non noverat, eumque pro mero homine habebat, superavit, et ereptam nobis prædam recuperavit. Zopyrus sine ignominia, imo cum gloria vulnera illa accepit; Christus vero morte turpissima condemnatus et cum sceleratis reputatus est, atque ut reus et eorum maximus illorum medio crucifixus.

IV. Quem in finem dedit? Primo, ut perditum genus humanum et infinitis debitis obstrictum, et propterea morti adjudicatum liberaret et absolveret, exsolvendo de suo debita, quæ contraxerant homines sibi insolubilia, quo eriperet illos ab ergastulo æternæ damnationis, in quod alioquin compingendi erant.

Igitur: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Adeo enim dilexit hominem, ut propriam poneret vitam, quo hominem etsi morte dignissimum eriperet a morte, et vita æterna donaret. Magnum dilectionis exemplum refert Baronius, ex prato spirituali Sophron. c. CCVII. de puella quadam Alexandrina sub Paulo patriarcha Alexandrino, quæ pupilla a parentibus relicta magna cum facultate, die quadam ingressa pomarium cum vidisset quemdam parantem sibi laqueum, cucurrit, et dehortata est eum a facinore. Qui cum diceret se gravi ære alieno pressum, et suffocari a creditoribus, ideo semel mortem eligere potius velle quam quotidie mori, mox ei omnia sua quæ habebat, obtulit, eoque facto postea in extremam paupertatem devenit, etsi inde post a Deo mirabiliter emerit, ut alibi dixi. Vidit etiam Dei Filium hominem tantis onustum debitis, ut ea Deo persolvere nullo modo posset, itaque laqueum gehennæ induere deberet et æternum luere; quamobrem suis eum ditavit meritis, sed interim ipse exinanivit semetipsum, et pauperrimus factus, ab omnibus tandem derelictus fuit, ut nec ubi caput suum reclinaret, haberet. Jonathas adeo dilexit Davidem, ut ejus a morte eripiendi causa, mortis periculum ipse adiret, et patris iram ac lanceam in se armaret, 1. Reg. XX. sed Dei Filius, ut hominem a morte æterna liberaret, de facto mortem ipsam crudelissimam pertulit.

Secundo, ut non solum homines a pœnis illis liberarentur, verum etiam ut præterea summe exaltarentur, in Dei filios adoptarentur, hæredes cœli et consortes regni Dei fierent, adeoque ut æterna beatitudine perfruerentur. Atque ut hoc

ipsi consequerentur, vitam inquam æternam non dubitavit Filium suum pro ipsis dare in mortem.

Magnus fuit Agrippinæ amor in filium Nerone, quæ audiens ab ariolis filium quidem imperaturum, sed matrem occisurum, dixit: *Occidat, modo imperet, Ælian. l. XII.* Scivit etiam Dei Filius se a creaturis suis, hominibus occidendum, si eos Deo reconciliaret, et in regiam cœlestem eveheret: nihilominus tantopere desideravit eos exaltare, et cœli reges facere, ut id suapte nece interveniente efficere non dubitavit. Tametsi etiam præscivit Dei Filius ex illis ipsis quos redempturus erat, plurimos sibi rebellaturos et ingrattissimos futuros, sanguinemque suum conculaturos, nihilominus ipse eorum gloriam et exaltationem quæsit et procuravit.

Jam vero, auditores, quis hæc animo revolvens non obstupescat? Quis tantæ benignitatis consideratione lacrymas contineat? Quis in amorem et obsequium Dei se vicissim non libentissime impendat? Repetamus Christi verba; singula enim emphasim habent: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret; ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quomodo ergo dilexit? *Sic*; tanta amoris vehementia, tanto excessu, tam ardentem, tanta æstimatione. Quis? Non rex, non Cæsar, non angelus, sed *Deus*, illa infinita majestas, nullius egens, sibi sufficientissima, quæ in momento alios infinitos multo excellentiores et gratiores sibi servos ex nihilo condere potest. Quem? *Mundum*, sibi contrarium, hostem et gehennæ reum: genus humanum, infimum rationalis naturæ terminum, brutis affine, terræ addictum, cœlestium inane, immundum, ingratum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima autem odio et supplicio digna. Qua in re? *Ut Filium*; non hominem, non angelum, non seraphinum, non mundum alterum: *suum*; non adoptivum, sed proprium ac naturalem: *unigenitum*; non unum e multis, sed unicum, naturalem, consubstantialem, ejusdem majestatis et excellentiæ: *daret*; non venderet, non mutaret, sed donaret; nec quomodovis, sed in rectorem, in doctorem, in exemplar vitæ, in redemptorem, in pretium pro peccatis, in thesaurum justitiæ et reconciliationis inexhaustum, in juge sacrificium, in sacerdotem æternum, in panem vitæ æternæ, in pignus futuræ gloriæ, in regem, in judicem, in remuneratorem, in gloriam et hæreditatem vitæ æternæ: *daret*, non ad regnum, non ad triumphos, sed ad unionem naturæ humanæ, ad nuditatem et paupertatem, ad labores et incommoda hujus vitæ, ad contumelias et persecutiones, ad alapas et sputa, ad flagella et spinarum punctiones, ad omne genus probrorum et dolorum, ad crucem

et mortem, ut totius humani generis peccata in se susciperet, et in suo corpore lueret. Quem in finem? Non sibi, non Christo fructum aliquem quærens, sed ut ipse nos ab exilio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet, ut Filii sui vinculis nos absolveret, ejus vulneribus sanaret, ejus morte vivificaret, ejus humilitate exaltaret, ejus exinanitione æternis opibus bonisque immensis cumularet. Quodque rem totam amplificat, non requirit a nobis aliud, quam ut credamus in Filium, eique obediamus. Ergo, auditores, si prius amare Deum pigebat, redamare jam non pigeat.

CONCIO VI.

AMORIS ERGA DEUM EFFECTUS.

I. Supra naturam hominem elevat. — II. Omnes potentias in Deum trahit. — III. Facit amplecti quæ prius horruit. — IV. Facit impavidum et audacem. — V. Inflammat, et crescere in amore facit. — VI. Provocat ad eundem amorem et alios. — VII. Hilarum facit et imperturbabilem. — VIII. Parit spiritualem insaniam, etc.

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. III.

Heri, auditores, dicitur quidam Judæi, musto plenos esse apostolos, dum audierunt eos variis linguis magnalia Dei loqui, magno Spiritus fervore et animarum zelo. Neque in hoc judicio suo valde aberrarunt; musto enim pleni erant, sed musto amoris divini, quod ex ipsis erumpebat, retineri nesciens, quodque ipsos adeo transformabat, ut quasi ebrii aut mente capti esse viderentur. Unde S. Cyrillus, catech. XVII. ait: *Vera dicunt Judæi. Novum enim vere erat illud vinum, novi testamenti gratiæ.* Hodie non injuria dicere aliquis posset bibisse ex eodem nectare ipsam Dei Patris supremam majestatem, adeoque musto amoris plenam fuisse, cum audimus eam adeo dilexisse mundum, ut pro ejus redemptione Filium suum unigenitum daret. Quid enim est hoc quæso; dare Filium Dei pro servis, et pro servis ingratis, omni vitiorum genere inquinatis? Quis hoc unquam pater faceret, nisi forte ebrius aut mente captus esset? Atque hoc, ni fallor, fuit mustum illud, quod inebriavit, et quodammodo dementavit apostolos, amor inquam Dei, qui pro mundo dedit Filium. Hinc enim reciproco amore et ipsi impleti fuere, Deique magnalia magnis vocibus loqui incepere. Idem fatetur sponsa sibi evenisse, quando introducta a rege in cellam vinariam divinæ charitatis fuit; mox enim amore ebria, viribusque deficiens: *Fulcite me floribus*, inquit, *stipate me*

malis, quia amore langueo, Cant. II. Ergo videamus ejusmodi ebrietas sit amor erga Deum, et quos pariat effectus.

I. Ebrietas rationis naturalis usum adimit homini, inducitque oblivionem omnium rerum, curarum, negotiorum: aufert pene omnem sensum verberum et vulnerum, ipsorum parentum notitiam, quos etiam sæpe impugnat. Ita amor Dei facit hominem quodammodo emotæ mentis, dum a ratione naturali ad supernaturalem, a desiderio rerum terrenarum ad desiderium cœlestium evehit, ut jam non sapiat humana, sed divina; ut sapiat cœlestia, non terrestria: non curet minas, cædes, parentes sese retrahentes ab amore Dei. Nam ut docet S. Augustinus, in Psal. CXXI. « Sicut amor immundus inflammat animam ad terrena concupiscenda, et peritura secunda vocat, et in ima præcipitat atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna elevat, et ad æterna inflammat, et ad ea quæ non transeunt neque moriuntur, excitat animam, et de profundo interni levat ad cœlum. » Joseph stantibus coram se fratribus ad Benjamin tantum, fratrem uterinum (quem idcirco maxime diligebat) oculos conjecit, quasi cæteros non videret; de ipso solo quæsit: *Iste est frater vester parvulus?* Super ipso solo flevit, ipsi plura apposuit fercula, (Gen. XLIII.) ipsius tantum sacco inclusit scyphum suum, Genes. XLIV. quia, ut ait S. Ambrosius in eum locum: « Morale est ut quos diligimus, eos videamus præ cæteris, et quos animi intentio habet priores, eos obtutus offendat oculorum; siquidem plerumque circa alia mentis occupatione distracti, quæ habemus ante oculos non videmus, ita duce animo dirigitur noster aspectus. Benjamin absente fratres pene non viderat, etc. » Hunc in modum amor Dei ad solum semper attendit Deum; parentes et cognatos alios non curat, nec agnoscit, et cum sibi obsistunt, impugnat; de Deo tantum cogitat, ad eum oculos et mentem convertit, de illo sermocinatur. Eleganter etiam hunc effectum explicat S. Chrysostomus, hom. LII. in acta, his verbis: « Sicut procius non spectat nisi amasiam, et amasia fit ei omnia: sic qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, qui nihil curat gloriam et ignominiam, tentationes sic contemnit ac flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur, quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Ea autem quæ suavia sunt in hac vita, a ridet et non sentit, sicut nos vel ipsi mortui mortua corpora. » Sic Chrysostomus. Videre istud erat in Josaphato rege converso a S. Barlaam; tanto enim æstuabat amoris igne, ut relicto regno, opibus, deliciis, honoribus, in solitudinem secedens exclamaret: *Quemadmodum desiderat cer-*

vis ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Adhæsit anima mea post te, o Christe, suscipiat me dextra tua, Damascen. in Barl. cap. XXXVII. Visum in S. Francisco, qui ut Deo suo frui eique liberitus servire posset, non solum paternâ hereditate lubens cesserit, verum etiam patri obsistenti tunicam suam adiecit, ac renuntiavit. Ita demum primi Christiani pene omnes post acceptum Spiritum sanctum: Possessiones et substantias vendebant et abiecerunt illa omnibus prout cuique opus erat, Act. II: quia Spiritus sancti amore flagrabant. Ut enim æstus solis cogit hominem exuere et abiecere vestes: ita amor ardor ursit eos ut possessionibus se exuerent.

II. Ebrietas in hominē erupulam eructat, erupulam loquitur, pocula cogitat, juxta dictum illud ebril Proverb. XXIII. *Quando evigilabo et rursus vina reperiam?* Exemplo sit ebrius ille, qui (ut mihi recensitum) in publico jacens cum exorto repente domus incendio, alii omnes conelamarent: *Aquam, aquam, ipse hoc inaudiens clamabat: Mihi vero, vinum, vinum.* Ita et amor omnes potentias, sensus, affectus, operationes, cogitationes, et intentiones trahit in Deum, ut non nisi Deum cogitet, intendat, desideret. Quemadmodum enim Jonathas quia Davidem: *Diligebat quasi animam suam, ut dicitur: 1. Reg. XVIII. expoliavit se tunica sua qua erat indutus, et dedit eam David et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum et usque ad balteum:* (balteus autem erat cingulum militare, militum insigne, quo qui spoliaretur, exauctoratus censebatur) ita amator Dei quidquid in anima sua pretiosum habet, virtutes, scientias, labores, studia, sermones, cogitationes, ipsum denique cor suum liberalissime donat, omnia ad ipsum dirigens. Ubi enim est thesaurus ejus, ibi est et cor ejus; illum semper eructat cujus amore plenus est. Exemplo imprimis sunt apostoli, qui inebriati Spiritu sancto nil aliud loquebantur quam *magnalia Dei*, hoc est, magnifica Dei opera, Christi nativitatem, vitam, sermones, miracula, mortem, redemptionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem: amore erga se et genus humanum: *Bulliebant musto et bulliente lingua gentium profluebant*, inquit S. Augustinus, sermo CLXXXVI, de tempore. Sic postea et Paulus quasi amorem Dei ebrius, perpetuo eum eructabat; nomen Jesu et Christi singulis pene periodis, et quandoque etiam superflue ingeminat in suis epistolis. In iis enim Jesu repetit ducenties decies novies, Christi nomen quadringenties et semel. Idem facere nos docuit sponsa in Canticis, quæ dilectum suum semper in ore semper in corde habens inter alia, cap. III. quærit: *Num quem diligit anima mea vidistis?* In quæ verba S. Bern. serm. LXXIX. in Cant. ait: « En omne

quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet et aliud nihil; ita tibi ipsius et cor vindicasti et linguam. Num quem diligit anima mea vidistis? Quasi vero hi sciant, quid cogitet ipsa. Non explicat verbis sponsi nomen, ut perpendas amorem hunc sanctum non lingua estimandum esse et verbo, sed opere et veritate. Ita prorsus Magdalena, quæ ad sepulcrum requirens Dominum suum, hortulanum (talem enim reputabat esse Christum) ita alloquitur: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Quem, o mulier? Quem? Cur non exprimis nomen dilecti tui? Nimirum amore Christi ebria reputabat omnes alios una secum Christum semper in ore, semper in nostro corde habere, nec de alia re cogitare. Ad hunc amoris gradum ascendere nos possumus, si omnia nostra opera ad Dei gloriam dirigamus: si non comedamus ut gulam oblectemus, sed ut sano et vegeto corpore et animo melius Deo servire possimus. Idem de somno, studio, labore et quovis opificio dicendum.

III. Ebrietas facit ebrium amare sæpe, quæ sobrius oderat, et pulchra reputare, quæ prius deformia censuit. Hinc Anacharsis, cum quidam in convivio uxorem ejus videns diceret ei: *Uxorem duxisti satis deformem*, respondit: *Prorsus ita mihi videtur: sed heus puer infunde mihi largius, ut reddam eam formosam.* Indicare volens vir sapientiæ non vulgaris, vinum immoderatus potatum adimere homini rectum judicium, facereque ut deformia sæpe æstimet pulchra, Atheneus, lib. IX. Nec judicium tantum, sed etiam gustum adimit homini ebrietas, ita ut inter vina discernere tandem nequeat, ideoque sæpe vile et acidum pro nobili et dulci bibat; quam ob causam vere hospites cum convivæ inebriati fuerint, apponunt quod deterius est. Idem in anima facit amor. Quid magis horret caro, quam tribulationes, crucem, opprobria, paupertatem, vincula, mortem, omnisque generis injurias? At hæc omnia tamen amor Dei amabilia, pulchra et suavia efficiunt. Patet imprimis in apostolis, quibus carceres, fustes flagella visa sunt ingens dignitas et maximum Dei donum. Cæsi enim a magistratu: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, Act. V. quasi dicas: Maximas gratias agebant pro illa fustigatione. Quid atrocius cruce? Eam tamen Andreas salutavit et amplexus est velut lectum eburneum et delicatum. Quid sævius igne? Is tamen S. Laurentio mensa quædam opipara; quemadmodum et carbones igniti S. Tiburtio rosæ videbantur. Basilius Seleuciæ episcopus, in vita S. Theclæ scribit eam post superatos carceres, bestias, ignes sic orasse: « Etiam si in singulos dies mihi cum igne, belluis, vinculis, carceribus rem esse contingat: adeo

mihi omne etiam mortis et discriminis genus pro pietate subeundum, ipsismet paradisi deliciis epulisque instructissimis potius ducitur: tantummodo digna, quæ pro te et nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear. Audiamus martyrem nostri sæculi Japonensem. Michael in Japonia martyr, anno Domini 1609. e carcere ad suos scribit hæc inter alia: « Nunc intelligo irrisiones, contemptus, fastidia, quaslibet denique injurias pro Dei amore æquo animo toleratas omnibus regum et imperatorum scriptis ac diadematis esse infinitis partibus anteponenda. Quadriennio fui in carcere ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar, » triumph. mart. Jap. Audiamus et confessores aliquos. S. Franciscus dicebat: *Tanta est gloria quam exspecto, ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pena delectet.* Et quæ corporis afflictio ipsi amara esse poterat, qui toto desiderio martyrium ambiebat? S. Ignatius Loyola ob Christi prædicationem in carcerem coniectus, cum rogaretur a Francisco Mendosio postea cardinali, an id inique tulisset, respondit: « An tantum malum tibi videtur carcer esse? Et vero non tam multæ Salmanticæ compedes sunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Christo capiam, » Ribad. in vita, l. I. cap. V. Quis non videt istos amore Christi ebrios pulchra et dulcia deprehendisse ea, quæ mundus æstimat abominanda, et amara?

IV. Ebrietas facit homines impavidos, animosos et pugnaces. Hinc Kosaki et alii milites ad pugnam egressuri prius vino adusto se replent, ut animi vires actant, pugnas et cædes spirent. Et ubi crebriores pugnae, altercationes, rixæ, nisi post convivia nuptiarum dedicationem; aliasque compotationes? Unde Sapiens, Prov. XXIII. ait: *Cui rixæ, cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum,* (id est, rubedo, velut Chald. habetur tumor, ex inflicis scilicet pugnis) *nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* Hinc a veteribus Bacchus cum cornibus in fronte pingi et fingi solitus, teste Rufinō, l. II. antiq. Rom. c. XI. quod ebrietas soleat homini cornua imponere, rixas et contentiones provocare. Eodem modo amor sanctus audaces et intrépidos reddit Dei servos, ita ut nihil adversi metuant pro Deo suo pati, sed minas et pugnas spirent contra dæmonem et catervas ejus, imo etiam gaudeant pro eodem fortia aggredi et heroica designare facinora, nec vulgaria sed magna pati; ad eum modum quo molossi Alexandro M. a rege Albanæ donati cum ursis, apris, damis pugnare contempserunt; leones tantum et elephantés invadere, et sternere gestierunt, auctore Eliano;

I. VIII. cap. 1. Hinc a sponso, Cant. VIII. dicitur: *Fortis ut mors dilectio*, q. d. sicut mors neminem timet, sed robustissimos quosque invadit ac prosternit, ita amor. Vel ut alii exponunt per Hebraismum, fortior ipsa morte, quia ipsam mortem omnium victricem audet aggredi, et debellat. Cujus rei argumentum habemus in ipsis belluis, quæ quantumvis infirmæ sint, obijciunt tamen se non raro venabulis et spiculis venatorum; invadunt alias se grandiores et fortiores feras, ut fœtus suos defendant: amore suppeditante animum et robur, quod ipsis natura negavit. Hujusmodi ebrietatem videre fuit in apostolis, qui principes sacerdotum reprehendere non timuerunt ob cædem Christo illatam, sibi que comminantibus libere denuntiarunt se eorum interdicto minime stare posse aut velle: *Non possumus, aiunt, quæ vidimus et audimus non loqui*, Act. IV. *Vino celesti ebrui*, inquit S. Greg. l. 1. Reg. c. 1. *se continere non poterant, et a prædicationis fervore nimis victi tepescere nolebant.* Sanctus Paulus ipsam mortem et omnis generis tormenta ad certamen provocare non dubitavit, ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio an angustia? An fames, etc.? Certus sum quia neque mors neque vita, etc. poterit nos separare a charitate Dei.* Magdalena Christi corpus et mortuum et jam triduo sepultum, sic ubi invenisset, tollere parata erat præ amoris magnitudine, nihil verita custodes sepulcri, nec ipsius mortis horrorem. S. Ignatius martyr eodem musto plenus crucem, ignem, ossium confractionem, et tota tormenta diaboli in se provocabat. Refert Plutarch. in vita M. Antonii Cleopatram Egypti reginam tam ardentem M. Antonii amore flagrasse, ut assumpto ancillæ habitu, quo regiam majestatem dissimularet, in mediis noctis tenebris per plateas civitatis illum quæriraret. Nihil hoc a Dei servos, qui amore Dei ducti, suis se regnis, dignitatibus et opibus expoliarunt, mendicorum et stultorum habitum induerunt, eremos et monasteria intrarunt, quandoque etiam stultitiam simulantes in mundo circuierunt ut pro amore Christi ab omnibus riderentur, vexarentur, spernerentur; in columnis diu noctuque sub dio per multos annos steterunt; denique in carceres et rogos insiluerunt, ut Christo potirentur.

V. Ebrietas accendit hominem ejusque artus, et si crebra sit, accendit hepar, et absument viscerâ ejus, ut perpetuo sitiât, et tandem vita potius quam potu carere velit. Ita et amor inflammat hominem facitque in amore crescere continuo. Deus enim in ipso est velut flamma fugiter accendens animam, donec eam totam incendat. Quemadmodum ignis semper agit in signa, ea depascens, indeque augetur; ita amor